



UNIVERSITÉ
DE PARIS
COLLÈGES



UNIVERSITÉ
DE
PARIS





Table

des ouvrages
contenus dans ce volume.

1156754051

- 1 Bayeux (Collège de) Statuta collegii Baiocensis Statuta.
- 2 idem. Arrêt du parlement 1713 15^{me} homologuant une conclusion de l'université du 27^{me} 1713 relative à ce collège.
- 3 idem. Sicut un autre arrêt sur les Boursiers.
- 4 Factum relatif à la plainte maintenue en la principalité de Boncourt.
- 5 Orléans (Collège de) Statuta collegii Orléans-Borbonici edita die 7 Januarii, et de senatu confirmata 17 Junii. an. 1661.
- 6 idem. Regulæ collegii Borbonici-Orléani excerptæ à Statutis &c.
- 7 Grassins (Coll. des) Arrêt du parlement, 1710 4 mai, qui homologue l'avis des S^{rs} Piot et Pourchot, sur l'administration des biens de ce collège.
- 8 Extractum e commentariis universitatis (relatif aux logements qui peuvent être concédés dans les collèges).
9. Eas. humbles et très-respectueuses représentations de l'Université de Paris au Roi, au sujet des lettres patentes du 20 Août 1767.
10. Universitas Studii Parisiensis Socii et amici universitatibus Studiorum.
11. Factum pour M^{re} Claude de Cordoy esleu principal de la maison de Montargis, contre les S^{rs} chartreux, opposans à cette election.
12. Ste Barbe (coll. de) Fondation 1556 19 novembre.
- 13 idem. Mémoire pour les curé et Marguilliers de St Hilaire à Paris ayant droit de présenter à 2 bourses du collège Ste Barbe deux enfans de leur paroisse.
14. idem — Factum signifié pour les principal, procureur, Chapelain boursiers de ce collège contre les S^{rs} recteur Doyens &c. de l'université de Paris.
- 15 Tours (collège de) Statuta Venerabilis collegii Turonensis parisiis fundati.

E. S. V. P.

16.


à Messieurs du Parlement (L'Université contre M^e Lenormant, Syndic du Clergé
du diocèse de Paris)


17.

Requête pour les Recteur, doyens, & de l'Université contre J. Magny, commis au greff
des gens de main-morte, et de M^e J. Lenormant, Syndic &c.









VNIVERSITAS

STVDII PARISIENSIS

SOCIIS ET AMICIS

VNIVERSITATIBVS

STVDIORVM.

CUM amicorum eadem & bona & mala sint, idem autem velle, & idem nolle firma amicitia, nec ullum sit ejus potentius vinculum, quam quod rerum honestissimarum consensio communióque conjunxit, nunciamus vobis, cognatione quippe studiorum & artium conjunctissimis, res nostræ quo loco sint, Socios vos fideles & amicos fortes, quales in omnibus nostris temporibus experti sumus, habituri. Quod igitur nobis benè, communibus adversariis pro eo ac merentur, eveniat; die VIII. Novemb. homines non Christiani modò, sed RR. PP. ut se ipsi vocant, leuitæ, tentarunt in Collegio Cenomanorum nostro, quod in bonis Quintij Nævius, in Cæcinæ Æbutius, in Virgilij Arius in regno Henrici, pessimo omnium exemplo, Ferdinandus. Quæ si vobis atrox & non ferenda injuria videbitur, rem, ut gesta est, audientibus; quid nobis censetis, quibus in tanta indignitate facinoris, & continenda fuit nostræ juventutis indignatio, & auxilium contra vim ac prope hostilem irruptionem à legibus repetendum; Et eo se quidem projecit Religiosorum Patrum cupiditas, ut cum ex tot illorum factis verum appareat Hesiodeum illud Πῖνα κατὸς γείτων, tum ex hoc profecto verissimum: & una sit demum spes reliqua fore, ut qui vicinum nullum ferant, eos ut vicinus denique ferat nemo.

Quod si longinquo periculo quasi præsentī moverentur ho-

I.

II.



mines, & communi ut privato, & alieno ut suo, non essent inexplabilem istius generis aviditatem passi tot omnis generis prædas, opima sacerdotia, capturas, hæreditates, lucra fænoræ etiam nautica, mercimonia, merces mercedisque sacrorum, quæstus, rapinas coacervare, quibus jam instrumentis cætera invadendi (ut bellum seipsum alit) abutuntur. Et fraudibus suis, malis artibus, insidiis blandimentis hæredipetæ, captatores, mercatores sacrorum ipsi etiam inferis tremendum Domini IESU nomen obtrendunt, quasi id demum sit Iesuitam esse, finem cupiendi capiendique habere nullum; neque enim finem inveniet libido.

III. Tametsi poterant, si tanti nominis sanctimoniam habent obtentui, aut ejus splendore clypei omnium præstringunt oculos, audire ab homine externo quod in libro tertio de Officiis posuit. *Homo autem justus & is, quem sentimus virum bonum, nihil cuiquam quod in se transferat, detrahet.* Nos vero ab eodem. *Si is, qui non defendit injuriam neque propulsat à suis, cum potest, injustè facit, ut in primo libro disserui; qualis habendus est is, qui non modo non repellit, sed etiam adjuvat injuriam?* Adjuverit porro hanc qui non repulerit. En religiosam modestiam! en sacrum horrorem cognomenti, quod etiam Angeli reverentur, cuique genu posito accidunt. Et hortabuntur expulso Christi Domini gregem, ut alieno manus, oculos, cogitationem abstineat, pallium eripienti etiam tunica cedat. Imo novum Christum, id est suum, commodum jam, facilem, blandum, sæculi factum & arcanis susurris in aurem mulierculæ instillabunt; & exemplo suo invadendi omnia, & vicinum quod sit, si idem expediat, quo jure qua injuria, suum redigendi, etiam tacentes ingerent. En parentes juventutis! en disciplinam & mores! en quos ex Academiæ matris sinu sustulit Academiæ olim Discipulus, ut materna viscera grandes jam & adulti lacerarent, & pium id esse facinus mundo canerent!

IV. Emunt de suspecto & famoso Tutore bona Pupillorum, de Episcopo rem Ecclesiæ, de Sacerdote rem sacram ipsi Sacerdotes, alienam, publicam, ejus fidei commendatam, ut ab istorum vi & omnium injuriâ defendat: majorum beneficium, si minus amplificet, at integrum certè posteris, hoc est Civitatis ejus inopibus, at bonis & studiosis adolescentibus tueatur. At

cui jamdiu clamat Præcursor Domini maximus hominum, *Non licet tibi*, clamet hîc quoque, *Non licet*. Neque vero istis prodesse sua fraus debet, si nullius culpæ consciis alieni facinoris munusculum admittere non licet.

Neque veremur ne gravior hic vobis videatur dolor, quem V. haurietis profecto gravissimum, si cogitabitis, quò eventura sit Gallicæ juventutis conditio, cujus spes omnes fortunæ honestioris, hominum istorum insatiabilis fames jam inde usque à radicibus vellit. docebitur enim ab illis artem eam videlicet, quæ nihil præter miseram famem afferat. Nam quid aliud quam esuriant, qui si quid didicerint, non habeant, ubi docere, nisi in obnoxia servitute audeant? Ita omnia perfugia, infinita istorum potentia occupavit. Et jam sane occupavit, ut nostri obliti videamur cum posteritatis miserrimam sortem querimus. nam cui generi hominum major illa vis & dira tempestas non incumbit? omnium fortunis imminet, sacrum, profanum, privatum, quale quantumque sit, dant operam modo ut habeant, *rem faciant, rem*, & quando rectè non possunt, at quocunque modo *rem*, & *rem*, ut est interminata concupiscentia, infinitam.

Et videte quibus machinis rem etiam publicam expugnatam VI. eant. *Sacrum*, inquit, *suggestum soli tenemus*; cæteri enim 1. vicariam operam ad tempus præbent: inde plebem nostram faciemus: Plures autem cujus sunt, ejus demum omnes. Quæ enim arte alia tyranni in civium suorum libertatem invaserunt? munera dant populariter, auram popularem, de suggestu si qui unquam plebicolæ, alliciunt, copiosorum & abundantium levitatem voluptate titillant. Ludos, pompas, scenas, choros, 2. choreas, spectacula, Pyrrichas, & quid non? edunt. Ædiles habent, choragos, præbitores, ministros, qui theatrum orient, sumtum in vanissimum luxum consumant. Bonos parentes miseræ juventutis, quam sic infatuant, ut non ludere se, rem veram agere putet! Ipsi interea Theatrici, Comici, heu vereor ne denique Tragici tantum.

Arcanum tribunal, aiunt, *nostræ sunt helepoles*, quæ intesti- 3. nis terroribus animos frangunt, capiunt, obtinent: indago, quæ omnem prædam claudit; album rete quo aliena nobis bona converruntur.

Quid Cæstus ille peculiaris, quem foetum suum Societas ma- 4.

ter ceu linguâ fluxit? Nexu & mancipio noster est, nobis, & terribili mysterio nostro deditus, addictus, & plusquam veteri Solduriorum devotione constrictus: Et vetent quamlibet Reges, eoque officiis suis merito interdican: vinea, pluteus, musculusve, imo cuniculus est, is quo pertineat incauti & imprudentes denique sentient. Iam per filios, matres regemus, per has, viros, at hi rempublicam, quam in Troiam equum fabricamus.

5. *Principum aures obsidendæ sunt*, quoad deditioem fecerint; iis autem facile arrepemus, blanditiis, quas unas plerique libenter audiunt, specie, religione, potentiæ gratiæ ostentu majore, quam res sit: frons interea fallaciam & dolum facile sustinebit. Sapere nos putent (id faciet specimen gravitatis) in honore habebunt; pios sanctosque credant, reverebuntur; mites & humanos, colent; posse, sperabunt aut metuent. Summus hoc Pontifex, cuncti Antistites, Clerus, Nobilitas, Toga, plebs, summi, medii & infimi, omnes.

6. Aderit aliquando optatus dies, quo beatissimum Papam Ecclesiæ imponamus; noster erit: quid erit deinde moræ, quin nostra, per eum, omnia? mittat modo in operam, imo ne mittat, quibus pes, manus animusque gestiunt. Sementim jam (utinam ne Cadmeam) improbißimis laboribus facimus, quam ut ad messem perducamus? quam? nisi ad imperium orbis terrarum; *quem jam*, ut de populi Romani magnificè Tullius, *Societas nostra complexa est*, spe certe ac cupiditate devoravit. tum per nos reviviscet sepulta jampridem illa potentia, tum leges nostras in sacris, in publicis, in domesticis rebus mundus aut ultro accipiet, aut lege Majestatis, quam ab hominum teterrimo Tiberio nobis transmissam religiosè instaurabimus, damnatus miser hæreticæ pravitatis ultrices flammæ, datâ licet fide publicâ experietur. Nam fidem hæretico des, non serves. hæreticus autem, qui nobis, qui consiliis nostris adversarius. plus possimus modo apud eum qui plus potest, aut, quod summum est, possimus ipsi omnia.

7. *Liberales artes propemodum habemus in manu*, & querantur illæ se à nobis male tactari, pessimè accipi, foedari, pollui, non exhibunt tamen è nostro mancipio, ad eam quam struimus potentiæ molem, perquàm idoneæ futuræ. *Theologia filiola nostra*

est : (& adulterina quidem.) Medici animorum habemur, unctores videlicet & nimia assentatione crudeles; facile & corpora nobis, posteaquam animi, committentur. Iurisprudentiam aut funditus delebimus, aut multo expeditius quam ullus Iustinianus ad auctoritatem nostram revocabimus.

Libros, quotquot erunt non nostrarum partium, non nostrorum hominum, quod & nos Tiberius docuit, universos extinguemus: quæ jamdudum nobis munitur via, cum alienos labores sempiterni Plagiarii solidos exscribimus; omnium artium, omnium doctrinarum monumenta suis auctoribus subrepta excludimus pro nostris, & ubique gentium excudimus, venditamus sciolis sequacibus nostris, erasis bonorum & eruditorum parentum nominibus supposito partui nostrum indimus, hinc,

Quæ regio in terris nostri non plena laboris?

Hinc illa nostri admiratio, quasi penes nos claves sint literarum, per nos illæ claudantur, quibus velimus & pateant. Tametsi nihil dum sinceri purique, quovis sermone, lingua, arte, scientia, nihil non alienum, non subrepticium & furtivum, nihil proprium, nisi vanissima, de longinquo enim, prodigia meraque mendacia & vix pueris dignas ambages mundo obtrufimus. Sed ista sapientes non fallunt, at fallunt eos, qui sapientibus plures sunt, & cogent, id quod strenuè agimus, vera esse, quæ falsa sciunt, confiteri, oculis non suis uti, nostris regi, ipsi nec videre quod videant, aut idem quod nos, ultro profiteri. Vigebit enim, quamdiu regnabit victrix improbitas, nobis auctoribus Tiberia lex, quæ Deum verum, quæ divinas literas, quæ Concilium Universum generis Christiani appellantes revincat. *Libros*, si quid contra mussitabunt, Censura, nota, Spongia, igni delebimus: homines si quid contra vim hiscere audebunt, ne ludere nos putent, vivos comburemus.

Quæ nos videlicet, Viri docti & sapientes, dicimus, illi meditantur & faciunt. Nos interea sedemus quasi alieni periculi spectatores, nostri immemores. At Majorum tamen vaticinia præmonuerant, qui qualesque homines in album Universitatis adscribi poscerent, nimirum ad quos directo pertinent, ut quidem omnium bonorum & recte sentientium intellectus est, illa oracula, quæ ore Pauli Spiritus Dei secundæ ad Timo-

8.

Æqui-
vob.

9.

VII.

Censu-
ru Fa-
cult. a.
1554.

theum tertio edidit. Quorum interpretationem, qui rectam & plenam velit, repetat memoria unde illi profecti, quibus viis, quò jam processerint: omnino, si operæ sit, clarissimum commentarium existorum vita atque factis, Apostoli prophetiæ illi & Theologicæ Facultatis nostræ præfagiis contexere liceat, tanquam ad implenda tantum ea venerint, & cum paulatim factio se illa prodit, & illam & hæc consummanda sibi proposuerit. Ad singulas enim voces universa eorum consilia & facta singula qui norunt, tam facile revocant, quam imaginem agnoscunt, qui vultum noverunt.

VIII. Neque hæc propter malevolentiam, Deum testamur, viri socii & amici, sed æqui & boni studio dicimus, postquam eos tamdiu, toties, privatim, publicè admonuimus, arguimus, obsecravimus, increpavimus, ut nominis certè, cujus incubatores sunt, sanctimoniam recordarentur, ut modum sibi aliquem ponerent, & si minus hominum existimationem, at ejus judicium vererentur, qui circumdedit mari terminum suum, ut filii lucis magis sæculi esse vellent; ut serpentum prudentiam amplexi, columbæ simplicitatem ne repudiarent, ut ne cum Ismaële manus illorum adversus omnes, omniumque adversus eos. Nimum jam in Ecclesia Dei turbarum esse, scissuram tunicæ Domini sarcinendam potius, quam extremis odiis & pertinacissima contentione distrahendam: omnium hunc esse metum bonorum & Christianæ pacis amantium, cum multa Dei vestem schismata disciderint, quod ab illis metuatur, averte Deus pacis! omnium periculosissimum ac sævissimum, piorum mentes augurari. Populi vocem esse hanc, Fraterculorum à Templo immodicæ cupiditatis æmulos eundem exitium manere: omnia primum si queant, tum nihil futuros.

IX. Cui malo nisi conjunctissimis animis, nisi quanta maxima possumus, ope occurrimus, hoc potissimum tam strenuo Expurgatore Novitatis, tanto Vindice Antiquitatis Pontifice: Rege sacrosancto Parente nostro, qui Iustitiæ nomen omnibus victoriis, titulis & triumphis anteponebat, sustinebimus crimen ad posteros, proditæ communis libertatis artium bonarum, & quasi arce inexpugnabili, totius humanitatis hostibus dedita, bonam spem omnem iis qui nascentur præciderimus. Nam quid sit quod in vita expetat, si se hominem æqua legentum memi-

nerit; cui in istorum, quem moliantur, injustissimo dominatu vivendum, imo retenta ad tempus anima, vivo videntique moriendum erit? Sed obcæcabant sæculum, & Cimmerias, quas lux literarum depulerat, tenebras reducent? eo miseres, qui quam miseri sint, non intelligent; cæciores, qui se cæcos esse nec sentient. At longe posita ista; quando ad nos venient? Venerunt, homines humanissimi & castissimi Tutores artium meliorum, jam cervicibus omnium impendent, jam arce positivi vicina quæque corripunt, nisi ad commune restinguendum incendium convolamus. Si enim longius latiusque annis sexaginta, quam multis sæculis ulli homines, pervasere; quæ vobis reliqua spes, vobis, inquam, qui ætate integrâ estis ut liberos taceam & nepotes, quos ad istorum servitutem alitis? X.

Sed meliores sumus, ita enim prædicant, & meliorum sunt omnia. imo sua cujusque, nisi forte Fraterculorum hæresim recuditis. Sic enim omnes alieni pervasores & ereptores. At meliores quoque fuerant, quibus successistis, quibus ejectis in eorum sedibus exultatis: ut intelligant homines, *nulli generi committenda tam multa, ut in illius infirmitate periclitentur.* Meliores vero, si virtus ea & sanctitas est, nec modum nec modestiam nosse, transilire omnium fines, proximum quemque terminum usque & usque revellere, & ullo scilicet Iove potentiores, cogere, sibi ut Terminus & Juventas vel in Capitolio cedant: ædificare, quod Sybaritæ, veluti semper victuros (& eam esse jactatis Societatem vestram, quæ nunquam intermoritura sit; stultè facere homines, qui cum æterna gente bellum suscipiant) tot regias, palatia, basilicas, quot habetis domos majorum nostrorum imo Regum continentiae opponere. Quæ igitur dominatio nisi ista est? Oderint enim dum metuant. Et metuunt quidem vos plerique omnes; quis amat, nisi qui patriam odit?

Sed magnam tamen operam erudiendæ juventuti navant. XI. Quid? non ante hos artifices, proborum & doctissimorum hominum tanta vis fuit, quantum hodie fictorum falsorum & indoctorum colluviem egregia istorum opera effudit? Quis enim ab illa disciplina sincerus & candidus, hoc est, Francici Gallicique spiritus memor exeat, quæ artem fallendi frau-

dandique in pestem veritatis & humanitatis exitium importavit?
quæ in pectore vover,

-----*Sancta Laverna*

Da mihi fallere, da justum sanctumque videri?

Et conferte hanc sæculi, etiam in adolescentulis alumniis eorum, corruptelam, simulationem, superbiam, contumaciam cum ingenua Gallici ingenii castitate, morum candorem cum illo retro atroque habitu: agnoscitis in nativa & vernacula juventute pectus apertum, os verax & simplex, purum sermonem, pudentem & ingenuam libertatem, quæ tota jam in parentibus, per istos in liberis per eosdem interiit: nam quibus est mens tota in latebris, flexibus, recessibus, in Consilio suo persequendo, non possunt, vel ut nolint, non similem fœtum excludere, cui animam quodammodo suam inspirant. Nec enim, quod de Hebræis memorant homines, cœlesti manna pastos eos, ejus succi virtutem in multam posteritatem transmisisse, minus verum est de istis, qui ingenium Hispanicum, quo nihil tenacius, traducunt in suos, qui Spiritum habent Societatis, ac propagant. cæteros enim velut aucupes captivas aviculas, sic captos & deceptos fallendis reliquis adhibent.

- XII. Quæ si de infinitis pauca sunt; si tam vera quam merito formidanda, vestrum est, homines doctrinarum antistites & Doctores omnium scientiarum, injuriam novam hanc in Cenomano Collegio à nobis acceptam, vobis eadem vi & fraude impositam, tam illis tristem redigere, quam Anglis olim suam in captâ urbe Cenomanum captis ipsis & deinde cæteris fortissimè repressis, majorum virtus reddidit. Eam in rem vestras communis voluntatis ac sententiæ tabulas & decreta expectamus, per quæ hominum generi constet, & vobis quibus *con ἀπετά κ' ἐργα*, & bonis civibus, quorum à puero formatores estis, non ferendam videri adversariorum tam acerbam injuriam, quódque per vim attentarint, jure & legibus vindicandum, sive ad Curiam Patrum, sive ad sanctius Regis Consilium. Nam ne nos conquiesse putetis, jam gravissimis querelis nostris & justissimi doloris voce Curia personat, & ad Regem sanctissimum viros egregios mittimus, qui causam nostram

nostrum omnium agant pro viribus, impetrentque à justitia Regis optimi, ut tantam molem domestici periculi, cujus denuntiatio signumque est recens illorum facinus, qui plus potest polletque, discutiat, nihil intera reliqui facturi; ut ne infesti generis maleficia serpent longius in exitium literarum, quod jurarunt; tandemque experge fiant cuncti mortales, & de publico discrimine cogitent, quod sapientibus ac bonis dignum est, ferarum esse non hominum de simili genere, quid de parentum visceribus? crescere. infesto anni opponendam molem esse; malum esse vicinum, qui vicinum quemque usque eo dum ejecerit, vexet; pessimum civem, qui æquo jure cum cæteris vivere non possit: cupiditati ni restiteris, si concesseris, si eam cunctando alueris, futurum, nihil ut post modum negare audeas. Facilius è scintilla, quod isti nuper fuerant, incendium, quam ex incendio, id quod sunt, scintillam existere. augeri ut flammam, quo majora comprehenderit, sic cupiditatem, quo plura corripuerit. ambitioni nihil esse medium propositum, ad summum tendere, ubi neque conquietura sit. Deum superbis quidem sed per modestos & justos homines resistere. Da Domine Deus, ut ii simus, ut auctore te, duce te resistamus. Valete D. xv. Novembris.

VIRIS VENERANDIS
DECANO, CANONICIS,
CAPITULO INSIGNIS ECCLESIAE
CENOMANUM,

Rector & Universitas studii Paris.

QUOD cæteris Galliarum Academiis, quod omni hominum generi significatura est Studiorum Universitas Parisiensis, hoc vobis, viri venerabiles, præcipuè nunciamus: ut qui ad ejus Ecclesiae clavum sedetis, cujus res agitur, cujusque periculum vobiscum ipsi statuatis, quo tandem animo novam,

quam depellere potestis injuriam, ab Ecclesia Cenomanum accipiendam putetis. Qui se Iesuitas nominant rem insignis Ecclesiae vestrae publicam & nostram, nacti qui rem sacram fidei suae commissam vendere non dubitaret, Collegium Cenomanum ab Episcopo vestro religiosi homines emerunt: ea praecipue conditione, ut aedibus Lutetiae parandis, in quibus Episcopus vester habitat, librarum Turonensium triginta tria millia impendant. Alumnorum statum & legitimum numerum imminuunt, pladè medium tollunt, ni totum potius extinguunt, quem in suam manum potestatemque convertunt. Fit eis aedium sacrarum, quae isto in Collegio egregiae sunt, subruendarum potestas: reiue nostrae ac vestrae, quae Episcoporum Cenomanensium curae mandata fuerat, jus & arbitrium eis adjungitur. Id quidem ipsum ante sex annos moliti fuerant, inita cum eodem illo Episcopo vestro foedissimam pactione, quam, cum eos ad summi Senatus judicium vocavissemus, irritam ipsi fecerunt, eaque se desistere publicam manu testati sunt, nobisque denunciarunt. Cujus rei praesentem recentemque memoriam, cum putarent funditus excidisse homines cupiditate caeci, ecce renovatam cum eodem Episcopo compositionem, sigilli regii administris offerunt, verbum de Senatus Parisiensis interdicto deque sua cessione nullum faciunt, eam fraude postulatum extorquent. Iam injustam possessione, in quam invadere conati sunt, eximiā Alumnorum Collegii consensione nostroque consilio retardantur. Misimus ad Regem optimum atque justissimum viros egregios, qui lata nobis omnia retulerunt, nihil Iesuitas per fraudem, nihil praeter judiciorum morem impetraturos, nobis jus futurum nostrum integrum & unicuique suum, nihil inaudita parte, cujuscumque res agetur, de tota decernendum. Quae nobis non modo spes, sed propè certa victoria pronuntiata est adversus eos certantibus, qui quantum latebris merito gaudent, & caecis artibus fidunt, tantum lucem atque omnem rectè agendi rationem averfantur. Tabulas Decreti nostri & quas jam edidimus literas mittimus, item Consistoriani judicii exemplum. Caetera, quae in eam rem postea proferentur, vobiscum, viri venerabiles, communicabimus, si modo nos vobis id gratum facturos esse significaveritis. Vestrum est quan-

tum ad ejus Ecclesiæ, cujus in præsidio statis, injuriam pertineat, insolens ista Iesuitarum molitio, etiam atque etiam cogitare. Nobis certè constitutum est, quam juris obtinendi spem Rex sanctissimus ostendit, eam sedulo persequi, neque committere, ut opes sustinendæ vestratium studiosorum inopiæ dicatas, rem sacram fidei nostræ traditam mortalium omnium cupidissimi turpi atque adeo legibus vetito commercio mancipatam tacitis & quiescentibus nobis usurpent. Valete, viri venerabiles, & Ecclesiæ vestræ commodis ac dignitati favete XII.
Decemb. 1631.

QUINTAINE.
Scriba Univers.

A MESSIEURS
LES MAIRES ET ESCHEVINS
DE LA VILLE DU MANS.

MESSIEURS,

Nous avons proposé il y a long-temps de vous avertir de la vente que Monsieur vostre Evêque a faite du College que l'on nomme du Mans, fondé en cette Université par le feu Cardinal de Luxembourg, pour la commodité de vostre Ville & de tout vôtre Diocèse. Mais nous avons différé de vous en écrire, parce que nous avons pensé qu'il falloit premièrement empêcher l'usurpation violente des acheteurs, pour par après vous informer de l'état de l'affaire, afin que si la chose vous touche, comme nous croyons, vous y apportiez pour vos intérêts ce que vous jugerez estre à faire. Maintenant qu'il a plu au Roy recevoir nos justes plaintes, & que nous sommes asseurez d'estre ouïs en nos défenses, pendant quoy l'exécution du contract doit demeurer sur sise, vous aurez agreable l'avis que nous vous en donnons. Le dessein que les Iesuites ont sur ce College a esté projecté depuis fort long-temps. En l'année 1625. ils en firent pa-



roître quelque chose; mais il fut retardé par l'opposition de l'Université, & l'Arrest qui intervint, après lequel reconnoissans l'iniquité de leur cause, ils se départirent du contract fait avec Monsieur votre Evêque, & nous firent signifier ce desistement. Neantmoins au mois d'Octobre passé, ils ont renouvelé ce même contract aux mêmes conditions de trente-trois mille livres, qui seront employées en l'achapt d'un Hostel en cette Ville pour la residence dudit sieur Evêque & ses successeurs. Ce contract nous a semblé fort étrange, tant parcé que les Loix divines & humaines défendent de tirer profit du bien des pauvres, que pource qu'à cet exemple il n'y a fondation si sainte, qui ne puisse cy-après tomber en semblable commerce. Et comme il est tres-injuste, aussi est-il improuvé de tous ceux qui ne peuvent souffrir cet infame trafic, ny les artifices dont les Jesuites ont usé pour le faire reüssir, ils l'ont fait ratifier par le Roy, sans faire mention de nos oppositions, ny de l'Arrest du Parlement, ny du desistement qui nous a esté signifié de leur part. Ils ont employé l'autorité souveraine & la force, bien qu'en vain, parce que la justice a prévalu. Mais quoy qu'ils fassent ou remuent, nous avons tant de confiance à la bonté & Justice du Roy, que nous sommes resolu, quand même vous ne prendriez aucune part à la défense de ce qui est vôtre, d'empescher cette usurpation, esperans que Sa Majesté ne permettra point que cette brèche soit faite à son Université. Vous apprendrez plus à plain par les Actes que nous vous envoyons ce qui est de cet affaire, & si vous desirez en avoir quelque plus ample connoissance, vous prendrez la peine de nous le mander. Que si vous prenez resolution de joindre vos défenses avec les nostres, nous aurons la gloire d'avoir conjointement travaillé pour la conservation du Seminaire fondé pour vôtre Diocese. Vous nous donnerez le témoignage d'y avoir apporté toute sorte de fidelité & d'affection, desquelles nous ne nous départirons jamais, & vous ferons voir en cette occurrence avec combien de sincerité nous sommes,

MESSIEURS,

Vostres-affectionnez serviteurs, les Recteur, Doyens,
Procureurs & Supposits de l'Université de Paris.
De Paris ce 13. de Nov. 1631.

QUINTAINE.